

'accipite haec animis laetasque advertite mentes.
 nemo ex hoc numero mihi non donatus abibit. 805
 Gnosia bina dabo levato lucida ferro
 spicula caelatamque argento ferre bipennem;
 omnibus hic erit unus honos. tres praemia primi
 accipient flavaque caput nectentur oliva.
 primus equom phaleris insignem victor habeto; 310
 alter Amazoniam pharetram plenamque sagittis
 Threiciis, lato quam circumplectitur auro
 balteus et tereti subnectit fibula gemma;
 tertius Argolica hac galea contentus abito.'
 haec ubi dicta, locum capiunt signoque repente 315
 corripunt spatia audito limenque relinquunt,
 effusi nimbo similes; simul ultima signant.
 primus abit longeque ante omnia corpora Nisus
 emicat, et ventis et fulminis ocior alis;
 proximus huic, longo sed proximus intervallo, 320
 insequitur Salius; spatium post deinde relicto
 tertius Euryalus;
 Euryalumque Elymus sequitur; quo deinde sub ipso
 ecce volat calcemque terit iam calce Diore
 incumbens umeris, spatia et si plura supersint, 325
 transeat elapsus prior ambiguumque relinquat.
 iamque fere spatium extremo fessique sub ipsam
 finem adventabant, levi cum sanguine Nisus
 labitur infelix, caesis ut forte iuvenis
 fusus humum viridisque super madefecerat herbas. 330
 hic iuvenis iam victor ovans vestigia presso
 haud tenuit titubata solo, sed pronus in ipso
 concidit inmundoque fimo sacroque cruore,
 non tamen Euryali, non ille oblitus amorum;
 nam sese opposuit Salio per lubrica surgens, 335
 ille autem spissa iacuit revolutus harena.
 emicat Euryalus, et munere victor amici
 prima tenet, plausuque volat fremituque secundo.
 post Elymus subit, et nunc tertia palma Diore.
 hic totum caveae consessum ingentis et ora 340